Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Nec enim conuenit ut costa illa extrinsecus additamentum accepisse dicamus. quatenus in ea quantitate existeret. que corpori mulieris formando sufficere potuisset. quo si hoc uerum esset. non de costa quid esset de illo quod prius costa additum est. quantum multo maius fuit corpus mulieris factum esse euenientius dici debuisset. Hoc siquidem in materia maius principalius fuisset. principalis materia uocari debuisset. Non itaque coste illi extrinsecus aliquid additum est. sed ipsa ex semetipsa diuina uirtute operante multiplicata est. que ad modum prima ea natura humana a primis parentibus in subsequentem generationem seminata a modico iam in tantum multiplicata cernimus. ut multa hominum milia ex ea iam excreuisse uideamus. et hoc totum ad sedem operis pertinet. quin de aliquibus fiunt aliquibus in manus. Cum autem per collectionem et unionem multa in simplicem essentiam redeunt. sicut prius crescendo per multiplicationem a simplici essentia plurima exiuerunt. ceteum operis est. quorum in occulto naturae sinu etiam aliquas essentias diuina potentia operetur. ut scilicet aliquam a multiplicitate ad simplicitatem reducat. quam prius a simplicitate ad multiplicitatem perduxerat. sicut scire non possumus. ita et prima certe negare non debemus. Hoc tamen sic dandum est. quia aliud opus est cum simplex essentia multiplicatur. aliud cum multiplex in simplicitatem reducitur. Post istata opera que soli deo possibilia sunt. sequuntur quorum et quantum opus. que et creature euenium. in quibus nichil aliud est facere. quam ut iuncta disiungere. ut separata iungere. Sed eorum opus hoc est. aliquid in nichilum redigere. quod soli deo possibile est. Quod siue aliquis faciat. siue non faciat dns. hoc tamen omnino certum est. quia quod potuit de nichilo omnia creare. posset et si uellet cuncta in nichilum redigere. Post senarium operibus deputatum. septenarii sequitur.